

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Peter Hinckelmann Nicolaus Walther

**De Anabaptismo Disputatio Elenctica Tertia Complectens Haeresios  
Anabaptisticae refutationem in loco De Persona Christi Eiusque Officio**

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737663332>

Druck Freier  Zugang



P. Kinkelmann.  
R. U. theol. 1613.

(1)	Joh. Hallerius, De SS. scriptura	1613
(2)	D. Dreyzener, De Deo trinitate	1613
(3)	N. Waltherius, De Persona Christi	1613
(4)	M. Strikius, De baptismo	1613
(5)	F. Taurianus, De cena domini	1613
(6)	A. Friderici, De peccato originali	1613
(7)	J. Blantshagen, De ecclesia	1613
(8)	J. Nullius, De ministriis ecclesiae	1613
(9)	J. Saerberius, De ministerio ecclesiastico	1613
(10)	E. Loleius, De justificatione	1613
(11)	L. Gammelvius, De bonis operibus	1613
(12)	F. von Bülow, De libertate christiana	1613
(13)	P. Schaeffingerius, De magistratopoliaca	1613
(14)	F. von Dike, De iudicio	1613
(15)	C. Michael, De coniugio	1613
(16)	D. Nestorius, De jure amanto	1613
(17)	G. Nachanus, De mercatoria	1613
(18)	J. Smoldius, De resurrectione	1613

DE ANABAPTISMO  
DISPUTATIO ELENCTICA  
TER TIA

Complectens Haresios Anabaptisticæ refusationem in loco

De  
**PERSONA**  
**CHRISTI EIUS,**  
QUE OFFICIO,  
*Quam*

Divina S.S. Spiritus assistente gratia

Sub Præsidio

**M. PETRI HINKELMANNI**  
Verbi Divini Ministri.

Private ov̄c̄nt̄ores subiicit  
**NICOL AVS VV ALTHERVS**

Plaviensis.

4. Idus Febr. Hora locoq; consuetis.



**ROSTOCHII**  
Litteris Reusnerianis, Anno 1613.

DR. ANABATHMOS

BESPRINTERIO ELENCTICA

THEATRUM LIBRARUM

AMOS 9:5-9

CORINTHII 10:10



ΣΤΝ ΘΕΩ.

DISPUTATIO ANTICATABAPTISTICA  
III.

DE PERSONA CHRI-  
STI EIUSQUE OF-  
FICIO.

CONTINVATIO.

**E**xaminata superius de Essentia Dei controversia, & τοξια me-  
thodi postulat, ut etiam de vera Christi persona, eiusq; officio,  
piam placidamq; συζητησ; instituamus, ut revocatis atq; examina-  
tis ad Lydium verbi divini lapidem adversa partis erroribus, quid  
purum, quid sincerum in hoc articulo sit, veritatis scopo attinga-  
mus atq; constanter probemus, quidq; vero contra repugnet, Ana-  
baptistarum videlicet blasphemias, spurcissimo quæ ore ac corde in  
medium proferre minimè erubescunt, σὺν δὲ, quantum fieri potest,  
damnare, exertere ac reycere navemus. Ne autem ultra limi-  
tes vagemur, sed commodiori ratione nostrum quoq; institutum pro-  
moveamus: in duobus hisce capitibus & refutandis agnatis errori-  
bus, σύστατ; huius disputationis constituemus.

- I. De vera Personæ Filii Dei Domini nostri Iesu Christi cogni-  
tione, quæ est τὸν νῦν, τὸν λόγον, καὶ τὸν καθόλην,  
ut Iustinus ait; Unde etiam Filius Dei ipsam nuncupat  
vitam æternam (a).

a) Ioh. 17. 6. 3

- II. De ipsius officio-

C A P U T P R I M U M.

De Persona Christi.

A 2

Error

## Error Primus.

Menno in  
colloq. Trif.  
mariano.

Vide Form.  
cont. art. 12.

Christus ex semine Adæ non venit, sed verbum, Dei exp̄rs peccati, est semen & origo carnis ipsius, ut Iohannes inquit: Verbum caro factum est. Carnem itaque & sanguinem suum ex virgine non assumpsit, sed è cœlo attulit.

## REFUTATIO.

Hunc errorem gravissimum, quo maior vix cogitari posse, in hoc articulo præponere placuit, quo Adversarii nostri Anabaptista blasphemant: Christum non habere suam carnem ex substantia Adam, ex quo nos & omnes homines ipsam habentes. Somniant etiam, probari non posse, Christum Davidis aut Abraham semen esse. Atq; sic sceleratè nobis auferunt Messiam, quia talē comminiscuntur, qui non sit ex carne Abrahæ, Davidis, Mariæ incarnatus, sed carnem suam ex sublimi cælo deportarit, ut Valentiniiani olim somniarunt,

b) Gen. 3. 8.  
15.

c) Gen. 22. 6.  
18. Et 26. 4.  
c. 28. 14.  
d) 2. Sam. 7. 4.  
12.  
Ier. 23. 5.  
Esa. 11. 1.  
Mat. 1. 20. 23  
Luc. 1. 20.

1. Contra quam blasphemam opinionem pugnat tota S. S. Scriptura. Prima enim promissio Protoplatis (b) facta: Inimicietas ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius: ipsum caput conteret tuum, & tu calcaneo infidiaberis eius: clarissimis docet verbis de Jesu Christo, quod is futurus sit semen mulieris; unde Eva putabat primogenitum suum esse illud semen mulieris, diabolo caput contritum, sed in Persona errat. Hanc eandem promissionem Dominus Abrahamo, Isaaco & Iacobō repetivit his verbis: Benedicentur insemine tuo omnes gentes (c). Sic paſſim Christus appellatur Fructus ventris Mariæ, Semen & Germen David, radix Iesse, natus ex muliere, filius hominis, frater noster, manifestatus in carne, participans de nostra carne & sanguine (d). Quæ omnia cum verè & propriè de Redemptore nostro dicantur, verè quoq; eum humanam nostram naturam ex Maria assumpſisse demonstrant

2. Ad

2. Ad hæc testimonia, quæ non ex peregrinis aut impertinentibus, sed propriis huius materiæ sedibus deponuntur sunt, ideoque lucem obscurioribus locis, quos Anabaptistæ passim anxiè conqueruntur, & sincerae doctrinae opponunt, adferunt; adiungi possunt & illa, quæ Christum in similitudinem hominum factum, & habitu inventum ut hominem, nobisq; per omnia similem excepto peccato affirmant, dum esurivit, ficitur, dormivit, ambulavit, sudavit, vigilavit, defatigatus, contristatus, lachrymatus est, crucifixus, mortenus & sepultus est (e) &c. Quibus omnibus solidissimè demonstratur, Christum cum hisce proprietatibus & conditionibus naturæ, quamvis incorruptis & non vitiiosis, veram etamen totam & integrum naturam humanam nobis consubstantialem verè assumpsisse.

3. Id quod & ex Genealogia Christi haud obscure constat (f), in qua describuntur naturales Filii Patrum, hoc est, qui ex ipsorum sanguine sunt procreati. Cum enim in hoc ordine & I E S V S C H R I S T V S pronuntietur Filius David & Abraham, ad quorum familiam nativitas Christi certitudinis ergo erat alligata, certum est, imò certissimum, quod Christus ex naturali sanguine Davidis & Abrahæ sit natus, id est, suam carnem ex ipso rum semine acceperit, & non eam ex cælo detulerit, ut blasphemant Anabaptistæ.

4. Tum & Christum per incarnationem, veram & nobis consubstantialem naturam humanam assumpsisse confitemur in tribus istis Oecumenicis Symbolis. Apostolico; Credo Iesum Christum, conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria virgine. Niceno: Descendit de cælo, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est. Athanasi: DE VS ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia Matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens.

5. Quin & illud Nazianzeni: Τὸ αὐτοῖς λανθόνεις εἰδεῖσθαι,

A 3

quod

Gal. 4.4.  
Mat. 16.13.  
28.  
1.Tim.3.16.  
Ebr.2.14.16.

e) Matt. 4.  
2.18.21.c. 8.  
2.4.c.21.18.  
c. 26.39.  
Luc. 22.44.  
c 19.41.  
Ioh. 4.6.8.c.  
11.31.c. 19.  
17.28.30.  
40.41.  
f) Matt. 1.1.  
Luc. 3.23.

quod non est assumptum, non est curatum aut redemptum, assumptam nostram naturam in Christo ac redemptam demonstrat. Ve elegansissime illud ex Augustino explicatur (g), qui inquit: Cum ista suscepio pro salute nostra gesta sit, carendum est, ne cum quis credat aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat etiam ad salutem. Necessario itaque ad nostram salutem requiri dicimus, ut Mediator noster verus homo nobis similis existat. Nisi enim ex eodem genere, sicuti nos, propagatus sit, eius quoque nulla ex parte participes esse possumus, nec ille nostri. Convenit igitur, ut ex eadem prosapia, Christus caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris natus, nos a peccati stipendio immunes, & hereditatis aeternae consortes ac participes redderet.

(h) Hom. 4.  
De Catechizand. rudi.  
De rebus confessione.  
De Verbis Apostoli.  
Contr. Faustum.  
Apud. Maximum.  
Lib. 3. de carne Christi.

6. Hic subiungimus testimonia Patrum (h) Gregorij: Redemptor noster homo nascendo, agnus moriendo, leo surgendo, & ad calos ascendendo aquila factus est. Augustini: Esurivit Christus, qui omnes pascit: scrivit per quem creatur omnis potus, & qui spiritualiter panis est esurientium, fonsq; scientium: ab iterrestris fatigatus est, qui seipsum nobis viam fecit in cælum: obmutuit & obsurdiuit coram conviciantibus, per quem mutus locutus est, & surdus audire: Vinctus est qui de infirmatum vinculis nos solvit: flagellatus est, qui omnia flagella dolorum de hominum corporibus expulit: crucifixus est, qui cruciatus nostros finivit: mortuus est, qui mortuos suscitavit. Idem: non liberatur humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus. Idem: Formam viri assumendo, & de femina nascendo, utrumque sexum hoc modo honorandum judicavit. Justini: Christum DEVM intelligimus ex miraculis, Hominem ex natura nostra similis. Ibidem: Unus filius & Dominus & Christus & unigenitus: natura vero dux, altera nostra altera nobis superior. Athanasij: si eum anima rationalis & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus. Theophilacti: Non aliam Christus præter humanam banc carnem assumpse, quam & sanctificavit assumptam, & coronavit

navit condemnato peccato, quod carni inest, quam suscepisset.  
Idem: Non liberati fuissimus à peccato & maledicto, nisi humana  
natura caro esset, quam verbum induit, nihil enim nobis fuisset com-  
mune cum alieno. Tertulliani: Eversum est totum Dei opus,  
totum Christiani nominis & pondus & fructus, mors Christi nega-  
tur, cum eius caro negatur.

### Error Secundus.

Iesus Christus non est verus Deus, æternus,  
omnipotens, cum patre & spiritu sancto in una impar-  
tibili essentia: sed tantummodo cæteris sanctis superi-  
or, quia plura spiritus sancti dona accepit, quam aliis  
quispiam homo sanctus.

Menius ex  
Anabap.  
annotat.  
Vide Form.  
Conc. art. 12

### REFUTATIO.

Summa, ab Anabaptistis, hæc est in Personam CHRISTI  
blasphemia, auribus Christianis nullo modo tolerabilis, qua Christi  
Divinitatem, cum Arriani, Samosatenianis, Photinianis, Servi-  
tianis & aliis negant.

1. Cui primò opponimus immota S. S. Scripturæ testimonia,  
quibus CHRISTO in sacris literis (a), nomen Dei Proprium tri-  
buitur. Hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum JEHOVA ju-  
stitia nostra. Et gentium Apostolus eum expreßè DEV' M nomi-  
nat: Christus est ex patribus secundum carnem, qui est super o-  
mnia Deus benedictus in secula. Item: citra controversiam ma-  
gnum est pietatis mysterium, Deus est manifestatus in carne, sic  
& Iohannes Beđe ḥrō Alyg: ut simus in IESV Christo, hic est ve-  
rus Deus & vita æterna. Hæc est vita æterna, ut cognostant te  
solum verum Deum & quem misisti IESVM Christum (a). Et ali-  
bi passim hoc nomen ei tribuitur.

2. Deinde & æternam ejus generationem, Christum, cum Patre suo  
& cœlesti

a) Hier. 23:  
6. c. 33. 16.  
Deut. 33. 29.  
Rom. 9. 5.  
1. Tim. 3. 16.  
Iob. 1. 6. 1. 6.  
17. 3.  
1. Iob. 5. 20.  
Matt. 1. 23.  
Act. 20. 28.  
Phil. 2. 6.

b) Psal. 2. 7.  
Iob. 1. 18.  
c. 3. 14. 16. 18.  
c. 6. 65.  
1. Iob. 4. 9.  
Ebr. 1. 3.  
Col. 1. 15.

2. Cor. 4. 4.  
Phil. 2. 6.  
c) Mich. 1. 2  
Psal. 8. 3.  
Prover. 8. 12.  
Joh. 1. 1. c. 8.  
58.

Col. 1. 17. 18.  
1. Iob. 1. 1. c.  
2. 13.

Apoc. 1. 8. 17  
c. 21. 6. c. 22.  
13.

Mattb. 9. 4.  
3. c. 12. 15. 25  
c. 6. 8. c. 17.  
17. c. 18. 20.  
c. 28. 18. c. 22  
18.

Luc. 22. 10. 31  
Iob. 2. 24. 25.  
c. 17. 8.

d) Deut. 6. 13  
c. 10. 20.

Matt. 4. 10.  
Apoc. 14. 7.  
c. 19. 10.

e) Matt. 8. 2.  
c. 9. 18. 27. c.  
15. 25.

Luc. 24. 52.  
Rom. 14. 11.  
Phil. 2. 10.  
Apoc. 4. 8. 9

10. 11.

cœlesti quoq; oratione & oratione Deum esse probatur; ex natura relata-  
rum, qualis enim pater, talis & substantia necesse est sit filius: At  
Christus passim (b) filius Dei unigenitus nominatur, atq; Xægætne  
mætæ & oecœws tæ mætæs, imago patris, quia Patri suo è quoq; c. &  
Divina majestate per omnia similis. Imago enim & similitudo,  
non est diversarum in eis rerum, sed similium, unde & Deo similis  
vocatur.

3. Tum & Attributa Divina de Christo in S. literis pronun-  
ciata, Divinitatem ejus confirmant. Ut, quod describitur egressus  
ejus ab initio & à diebus æternitatis, & propterea æternus, & an-  
te omnia existens, omnipotens ac omnipræsens dicitur, qui sit xag-  
doywos, & gloriam habeat æternam (c).

4. Cultus quoq; soli Deo proprius qui est adorationis & fidu-  
ciae, Christo tributus, eum verum esse Deum evincit. Cum enim  
solus Deus sit adorandus (d), hunc Divinum honorem Christo exhibi-  
tum quoq; fuisse passim in sacris literis legimus (e). Et cum confi-  
dens in homine, & carnem ponens brachium suum, recedere dicatur  
à Domino, ac propterea maledictus pronunciaretur (f), huiusmodi fi-  
ducia in Christum collocanda præcipitur, & collocata legitur (g)  
atq; sic Christo tanquam filio Dei, cum Patre suo idem honor & glo-  
ria tribuitur (h), quam se Deus alteri non daturum severissime af-  
firmat (i): Vnde & prodecentiis evincitur, Christum non nudum ac me-  
rum hominem, sed verum quoq; esse Deum.

5. Quod & ex operibus planè Divinis constat: ut sunt, crea-  
tionis, redemptionis, sustentationis, reconciliationis cum Deo, re-  
missionis peccatorum, iustificationis, illuminationis, missionis S. S.  
Spiritus, vivificationis, resurrectionis, judicij, exauditionis pre-  
cum & salvationis, quæ omnia de Christo in sacris literis prædicantur (k). Cum vero hæc opera extra controversiam solum Deisint,  
Deum quoq; Christum demonstrent necesse est.

6. Deniq; de Divinitate Christi plurima Patrum testimonia  
existant, ex quibus pauca hæc notasse sufficiat. Bernardus in-  
quit

quic (l): *Habemus Christum Iesum ex Patre nascentem, in patre p*er* cubantem, cum patre sedentem, sub patre pendentem, à patre ambulancem, pro patre stantem, sine patre morientem, Gregorius: Christus est Dei potentia. Iustinus: Christum Deum intelligimus ex miraculis, hominem ex natura nostrae similem. Idem: sicut nullus est locus, ubi non appareat sol; sic nullus erit locus, ubi non cognoscatur Christus aut non intelligatur, Divinitas eius. Basilius: Ego in forma Dei esse, perinde existimo, at esse in Dei substantia. Sicut n*on* formam servi accepisse, in humanitatis substancia Dominum fuisse significat: ita cum dicit in forma Dei esse, Divina substantia proprietatem significat,*

### Error Tertius.

*Verbum caro factum est, perinde ut aqua in vinum est mutata in Cana Galilææ.*

### REFUTATIO.

*Ex præsentí hoc errore, luce meridiana clarius apparet, quosdam illorum fanaticorum hominum, non n*on* omnes idem statuunt, non agnoscere duas in Christo naturas integras & perfectas essentiis suis distinctas, sed Eutychianam οὐχ χωρίς cum Monophysitis, Monothelitis, ut alii fanatici, statuunt. Qui error eis, probata in prioribus utraq*ue* in Christo natura, ulteriori refutatione non indigere videatur, ne quid tamen hic desideretur, declarationis ergo sequentes rationes subjungimus.*

1. S. S. Scriptura de Christo loquens tanquam de una persona, haud obscuris vocabulis utramq*ue* in una eademq*ue* illa Persona Christi, naturam notat. Vi quando angelus nativitatem Christi Maria annuncians inquit (a): *Id quod nascetur ex te sanctum, Filius Dei vocabitur, Et apostolus: Misit Deus Filium suum na-*

- f) *Ier. 17. 5.*
- g) *Matt. 9. 5.*
- h) *Mar. 9. 24.*
- i) *Iob. 2. 11. c. 6.*
- j) *19. 35. 40. 41.*
- k) *Rom. 15. 12.*
- l) *Ioh. 5. 23.*
- m) *I. Ioh. 2. 22.*
- n) *23.*
- o) *i) Esa. 42. 8.*
- p) *k) Matt. 4.*
- q) *21. c. 9. 6.*
- r) *Iob. 1. 3. 9. c.*
- s) *4. 14. 42. c. 5.*
- t) *21. 22. 25. c. 6.*
- u) *11. 25. c. 14.*
- v) *12. c. 16. 7.*
- w) *Acto. 4. 12.*
- x) *c. 17. 28.*
- y) *1 Cor. 15. 28.*
- z) *Col. 1. 16.*
- aa) *l) Super canticum sermonem de Abrab.*
- bb) *De recta confessione.*
- cc) *In c. 10. Mas Hom. 15. Ad versus Ennomium f.*
- dd) *141.*

B tum

- a) *Lue. 1. 35.*
- b) *Gal. 4. 4.*
- c) *1. Tim. 3.*

Rom. 1. 3.  
Act. 20. 28.  
1. Pet. 4. 1.

tum ex muliere. Deus manifestatus in carne. Filius Dei genitus ex semine David. Deus suo sanguine redemit Ecclesiam. Filius Dei passus est carne. Tum & in hoc Iohannis dicto in errore posito, duæ naturæ exprimuntur per vocabula verbum & caro, atq; propterea pro nobis contra adversarios facit.

2. Deinde quemadmodum Adam non est mutatus in Spiritum vel animam, postquam inspirasset Deus in faciem eius spiraculum vitæ: sed retinuit corpus terrenum, adeoq; terra mansit: id vero quod non habuit, scilicet animam viuentem, assumit. Et ut Angelii non mutantur in flammas ignis, sed visibilem ejusmodi formam aliquando assumunt; Sic Filius Dei incarnatus, mansit quod fuit, videlicet, Infinitus, Præpotens, invisibilis, immortalis Deus: & quod non habuit, assumit numerum personaliter, immutabiliter perfectam & integrum naturam, corpus, animamq; rationalem in dividisse ac inseparabiliter. Fuxta versiculi sententiam: Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dico utrumq;.

3. Duas itaq; naturas in Christo agnoscentes, non eum cum Nestorio dividimus, sed unum eundemq; Christum Mediatorem & Redemptorem credimus. Sicut n. in homine aliud est caro, aliud anima, sed utraq; unus idemq; homo: ita in Salvatore nostro duæ quidem sunt naturæ, sed unus Christus. Non ergo alter Christus Deus, alter homo est: non alter creatus, alter increatus: alter passibilis, alter impassibilis: non alter ex Patre, alter ex Matre: sed unus idemq; Christus Deus & homo: idem creatus & non creatus: idem passus & impassibilis: idem ex Patre genitus antea secula & in seculo ex Matre procreatus. Quem n. Filium sibi Pater consubstantialem genuit, hunc sibi tam unicum in omnibus omnino aequaliter non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse & Mariæ unicum & naturalem Filium: nec ita ut duo essent unus DEI, alius virginis Filius; sed unus idem ipse, qui Filius DEI in una persona esset filius.

filius virginis, & qui filius virginis unus & idem ipse esset in una persona Filius D E I. Est itaq; in Persona τε Λόγος et si non ανθρώπος, tamen ἄνθρωπος.

4. Credimus itaq; & confitemur, unionem Naturarum, Divinæ & Humanae, in CHRISTO factam esse ἀρετῶν, inconvertibiliter, ἀσυγχύτως, inconfusè: ἀαρκούτως, incommutabiliter: ἀδιαιρέτως ή ἀλλοτες indivisiè seu indivulse, vel insolubiliter, sive indivisibiliter; καὶ ἀδιασάτως seu ἀχωρίστως indistanter in duabus perfectis naturis, unam hypostasin habentibus.

5. Vnde & Nazianzenus Christum nominat Ἐόσιαν συμβολον propterea quod jam post incarnationem non una tantum sola vel Divina vel humana in Christo natura sit, sed utraq; conjunctim communem habeat hypostasin. Et præclarè Theodoretus inquit (b):

b) Dialogo 2.

Corpus Domini glorificatum non mutatum est, in aliam naturam sed mansie corpus, divinâ tamen gloria repletum.

### Error Quartus.

Christus quâ Homo, præter creatorum donorum excellentiam, nihil supra hominem habet.

Vide M. Lu-  
ce Of sandr.  
Ench. cont.  
Anab cap. 5.  
prop. 2. f.  
110. 114.

### REFUTATIO.

Non tantum Anabaptista Divinitatem in Christo, ut superius vidimus, negant; sed & Divinam Majestatem Homini Christo in Persona communicatam esse, cum Calvinianis & Pontificiis concedere nolunt. Quæ Heretodoxia blasphema in superioribus nostris duobus collegiis AntiPapístico (a) & AntiCalvinistico (b) fusiū refutata est. Quarè hic Majestatem Christo homini communicatam breviter tantum probamus.

a) Disp. 4.  
cap. 1.  
b) Disp. 4.  
cap. 2.

1. Ipsius nominibus Divinis Christo homini in S. S. Scriptura tribuitis. Expressen. Deus & Filius Dei vocatur in conceptione & nativitate. V; cum Evangelista nonen Immanuelis à Propheta predictum (c) interpretatur nobiscum DEVS. Sic Angelus ad

c) Esa. 7.14

B 2

Mari-

Matt. 1. 13.

Luc. 1. 31. 32.

35.

Rom. 9. 5.

1. Cor. 2. 8.

1. Pet. 4. 1.

Ioh. 20. 28.

Mariam: p̄c̄es filium, qui erit magnus & filius Altissimi vocābitur. Sanctum quod nascetur ex te filius Dei vocabitur. Et Apostolus inquit: Christus est ex Patribus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in secula. Et eundem crucifixum idē Apostolus nominat Dominum gloriæ, & Petrus, passum Christum in carne vocat filiū Dei. Thomas eum quem corām videbat & palpabat, agnovit pro Domino ac Deo suo. Quæ nomina et si Christo secundum primū genus communicationis tribuantur, tamē id sit yi communicata Divina Majestatis, ut reverā & non secundum Cinglianam Alleofin de homine Christo dicantur.

2. Atributis Dei, Christo secundum humanam naturam in S.S. literis assignatis. Vt sunt omnipotētia, omnipræsentia, omniscientia, vis vivificandi, cultus adorationis (d). Quæ omnia secundum Humanam naturam, quia in tempore illi data dicuntur, secundum regulam Athanasii, intelligi debere, extra controversiam est.

d) Ps. 8. 8.

Eph. 1. 22.

Matt. 11. 26

e) 18. 20. c. 23

18.

Ioh. 2. 35. c.

3.35.

Col. 2. 3.

Eph. 4. 10.

Phil. 2. 10.

f) 1. Tim. 2. 5.

Col. 1. 20.

g) Ioh. 1. 7.

Act. 20. 20.

Gal. 3. 13.

Ebr. 2. 14.

1. Cor. 15. 56.

f) Lib. 3. c. 7

15. 17.

3. Operibus planè Divinis, quæ Christo in S. S. Scripture tribuuntur (e). Cum dicitur noster Mediator, qui nos cum Deo reconciliavit, à peccatis mundavit, sanguine suo redemit, legem implevit, mortem superavit, infernum destruxit, Diabolum vicit &c. Quæ cùm Christo secundum humanam naturam tribuantur, etiam solidissimè Majestatem Divinam ei communicatam probant.

4. Testimonii Antiquitatis: quæ variis & nominibus & verbis hanc communicatam Divinam majestatem Christo homini describunt, quando eam nominant, μετάδοσιν, μεταπίστωσιν, τρέχουσιν eis deo, θεοθέωσιν, θεοπίστωσιν, μετοχὴν θεῖας διωκμέως, διώσμιν θεῖαν εἰ τῷ φύσει αἰθερότητι. Et præclarè Damascenus (f): Divina natura proprias glorificationes carni communicat, manet & passionum carnis expers. Caro Domini locupletata est Divinis operationibus propter arctissimam ad verbum unionem.

Error

## Error Quintus.

Christus tantum est in uno loco, Nempe in cælo.

### REFUTATIO.

Et hic error Anabaptistis cum Calvinianis & Pontificiis esse communis, quo omnipresentiam Christo homini per communicacionem, maiestatis communicaram, sacrilegè negant.

Vide D.  
Schluss ca-  
tal. Heret.  
lib. 12 f. 36v.

1. Contra S.S. Scripturam quæ omnipresentiam carnis Christi passim verbis expressis atq; claris afferens, affirmat corpus Christi hanc habere dignitatem ex Personalis unione cum Divinitate, ut simul in multis locis esse possit. Quemadmodum Christus suam non tantum promisit presentiam nobis, verum premissis quoq; sterit, quando Stephano in persecutione apparuit; Paulo Apostolo adfuit in via Damascenâ, & Hierosolymitanis in castris; Apostolis cooperatus est, & sermonem eorum per signa subsequentia confirmavit, idq; πανταχός.

a) Matt. 18.  
20. &c. 28. 20.  
Ioh. 3. 31. 32.  
Apoc. 1. 13.  
Ephes. 4. 10.  
Col. 3. 11.  
Act. 7. 5. 77.  
Act. 9. 34.  
Act. 23. 11.  
Marc. 16. 20

2. Tum & pro Christi hominis omnipresencia argumenta nobis suppetunt quam plurima; quorum præcipua ducuntur ab Unione hypostatica. Sic itaq; argumentamur: Quicquid est θεοπακτός, οὐδέποτε; οὐδεσίτως; καὶ αὐχωρίσω τῷ Δόγμῳ, qui est omnipræsens, immo ipsa omnipresencia, unitum, id omnipræsens sit necesse est, ut ubicumq; altera naturarum ponitur, simul considerare & dari oporteat alteram; Ast τῷ Δόγμῳ omnipræsenti personaliter natura humana est unita: Ergo.

3. In Δόγμῳ nullus est locus, sed merum nō beiō νοή ἀπειχεῖσθαι extra omnem loci rationem: Humana natura in Christo fuit assumpta in Δόγμῳ. Ergo Hum. Christi natura in hypostasi Δόγμα considerata, est extra, & supra omnia loca.

4. Quicquid subsistit subsistens illocali, ac omnibus locis exceptâ, illud est præsens in cælo & in terra: Christi caro tali subsistit subsistens: Ergo. Argumenta plura pro omnipresencia Christi, ab articulo sessionis ad doxateram Dei, à collatione cum rebus Physicis, & ab absurdis si Christo homini omnipresencia negetur, deducta, vide in collegio Anticalvinistico (b).

b) Disp. 4. c.  
2. Err. 4.

CAPUT SECUNDUM.  
De officio Christi,

Error Primus.

Colloq Embd

Christus intus in sua anima iram Dei & pœnas inferni non sensit.

REFUTATIO.

Quia negant, Christum suum corpus & animam ex Maria virgine assumpisse, sed illud ex cœlo secum attulisse statuunt, ut superius hanc errorem refutavimus, etiam in illo fidere ac cœlesti corpore eum nullum sensum doloris, iræ Dei ac pœnarum inferni sensisse affirmant.

1. Sed refutantur ex historia passionis Christi, in qua Spiritus sanctus per Euangelistas describens passionem Christi, hac verbo menti vocum emphasi usus est (a) : Christus assumpsis discipulis capite contristari & gravissime angui, (adūno ēn, id est, gravissime consternari ac præ dolore penè exanimari & deficere,) inquiens, undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem. Conscientus autem in agonia intentius orabat ; erat autem sudor eius sicut gutta sanguinis recurrentis in terram. Et apparuit illi angelus e cœlo confortans eum. Quibus verbis summa Christi describitur anxietas & dolores infernales, quos in anima sua sensit, ex terribili Patris sui irati contra se iudicio, ob totius generis humani peccata in se derivata.

b) Eze. 53.  
4. 5. 8.  
Psal. 18. 5. 6.  
2. Sam. 22. 5.  
6.

2. Vnde & alibi de eo affirmatur (b) ; quod verè languores nostros tulerit, & dolores nostros ipse portaverit : Quod vulneratus sit propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra. Quod propter scelus populi percussus sit. Et ipse Salvator ante susceptam incarnationem per Regium Psaleem, hasce infernales pœnas in anima suscipiendas prædixit his verbis : Circumdederunt me laquei mortis, & angustiae inferni invenerunt me, torrentes Belial

Belial terruerunt me. Quæ dicta, & iis similia quam plurima (c) luce meridianâ clariora de passione Domini nostri Iesu Christi præbent testimonia, ut, qui ea negat, meritò in tenebris plus quam cimerius ambulare, & nihil videre ac intelligere dicatur.

c) Psal. 22. 2.  
7. 15. 16. 5  
69. 2. 5. 8. 21.  
22.

3. Quod si verò Christus iram Dei & infernales cruciatus in passione sua non sustinuerit, utiq ab iisdem nos homines, qui tanquam filii iræ sempiternæ gehennæ cruciatibus addicti eramus, (d), liberare non potuissent. Quemadmodum itaq activa sua obedientia pro nobis legem implavit, & iustitiae Dei satisfecit, atque sic, quod nobis factu impossibile, præstitit: Ita etiam passiva sua obedientia iram Dei & pœnas infernales, nobis ob peccata sustinendas, cum peccatis in se derivando sustinuit, expiavit ac prorsus abolevit.

Eza. 43. 24.  
c. 50. 6.  
Act. 20. 28.  
1. Cor. 2. 8:  
12.

4. Id quod & solidissimè ex multiplicibus Dei promissionibus, de sua gratia & misericordia, peccatorum nostrorum remissione, pœnarum tūm temporalium, tūm æternarum condonatione (e) videre est: quæ, nisi Christus passione suâ pro iis iustitiae divinae satisfecisset, nobisq cum Deo sic reconciliatis, gratiam & misericordiam eius meruisset, nobis obtingere non possent. Quia verò certissimæ ac verissimæ illæ, quas dixi, promissiones, nobis in verbo offerantur, per fidem conferantur, certissimum quoq est ac verissimum, Christum passionis suæ satisfactione easdem nobis perisse & acquisivisse.

e) Ezech. 33.  
11. 12. 16.  
Osee. 11. 8.  
9c. 14. 4.  
Amos. 5. 14.  
Jon. 3. 10.c.  
4. 2.  
Act. 10. 43.

5. Quemadmodum & de hac Christi passione, eiusq merito præclara extant Patrum dicta. Augustinus enim inquit (f): Crux non ad impotentia documentum, sed ad exemplum patientia suscepit est. Vbi tua vulnera curavit, ubi sua perrulit. Ibi à morte semper tua te sanavit, ubi temporaliter mori dignatus est. Item: Quid est quod Christus in morte turbatus est, nisi quia infirmos suæ infirmitatis voluntaria similitudine consolatus est, aut si qui suorum adhuc imminentे morte turbantur. Ambrosius:

f) Super Job.  
serm. 3. Lib.  
Prognost.  
Super Ps. 113.  
Super Lucam  
lib. 5.  
Lib. 20. Moral.

Propter-

Propterea Christus damnationi mortis se subdidit, ut te à jugo damnationis erueret: Ille suscepit mortis servitutem, ut tibi tribueret vitæ æternae libertatem. Idem: Clamavit IESVS voce magna: DEVS, DEVS meus, quare me dereliquisti? Clamavit homo Divinitatis separatione moriturus. Gregorius: Cuno posset nobis etiam non moriendo succurrere, voluit tamen hominibus moriendo subvenire: ut quod à nobis tolleres, ad tempus ipse sustinere.

Menius ex  
Anab. conf.

### Error Secundus.

CHRISTUS non passus est, ut satisfaceret pro peccatis nostris, sed tantum ut exemplum nobis præberet; ut nos etiam pateremur, alioqui passio Christi ad salutem nemini prodest.

### REFUTATIO.

Summa hac sua in meritum Christi pretiosissimum blasphemiam Anabaptista, pejores longè sunt ipsis Pontificis, & quibuscumq; aliis derrahentibus merito Christi; & refutatione vix indiget hic crassus & palpabilis error, ob manifestam ejus quibuslibet ultrò ob viam falsitatem, breviter tamen ex S.S. Scriptura subiunctis quibusdam rationibus ad eum respondebimus.

- a) 1. Pet. 2. 21. *Etsin. Christus sua passione nobis exemplum reliquerit, ut sequeremur vestigia ejus, ut Apostolus loquitur (a), tamen hic non est principalis, multo minus solus & unicus finis, verum ut patetur pro nobis, quemadmodum hic finis præponitur; & eundem nusquam non S.S. Scriptura mutatis subinde verbis repetitum ob oculos ponit (b): quod Jesus Christus in hunc mundum venerit peccatores salvos facere; quod sit propitiatio pro peccatis nostris: susterit, ac deleverit peccata nostra: sanguine suo Ecclesiam redemit, ac emunda veritatem nos ab omnibus peccatis, &c.*
- b) 1. Tim. 1. 15. *Id non tantum effectivè & meritorio (c), quatenus Deus fit*
- c) Matt. 1. 21. *Act. 4. 12.*
- d) Joh. 2. 2. *Act. 20. 28.*
- e) Joh. 1. 29. *Act. 20. 28.*
- f) Esa. 43. 25. *1. Joh. 1. 7.*
- g) Esa. 53. 6. *c) Esa. 53. 6.*

us super Christum posuit iniquitates omnium nostrum, ac Christus ipse mortuus est pro peccatis nostris & resurrexit propter justificationem nostram, atque semetipsum dedit premium redemptionis pro omnibus; sed etiam applicatur seu imputari, ut per fidem nobis hoc Christi merito applicato & imputato, liberemur à peccatis, adoptemur in filios Dei, justificemur, & vitam ac salutem consequamur eternam (d).

Rom. 4.25.  
1. Tim. 2.6.  
Matt. 20.28.

3. Unde & Mediator Dei & hominum vocatur (e), quia inter Deum iratum & genus humanum reum peccati, mortis & aeternae damnacionis se interponens, sustinuit iram Dei & paenam peccati, sicq; genus humanum cum Deo reconciliavit. Et Angelus in narritate Chisi, nominans eum Salvatorem, addit nominis hujus causam, quia salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Sic redemptor, justificator, reconciliator noster Christus dicitur, quia nos sanguine suo redemit, à Deo nobis factus est justitia & redemptio: per eum reconciliata sunt omnia. Quod si non efficeret, neg, ut error habet, pro peccatis nostris satisfecisset, essent haec nomina sine re, quod de Christo sine blasphemia dici non potest.

d) Rom. 3.28.  
C. 4.5. 16.6.  
5.1.  
Ioh. 1.12. c. 3.  
.16.  
Act. 10.43.  
Luc. 7.50.  
e) 1. Tim. 2.5.  
Luc. 2.11.  
Matt. 1.21.  
1. Pet. 19.  
1 Cor. 1.30.  
Col. 1.20.

4. Imò omnia illa media offerentia, Verbum Dei ac Sacra-  
menta Baptismi & Cœna Dominicæ; atq; applicans illud fidei, essent  
nullius valoris ac ponderis, nisi Christus satisfecit pro peccatis no-  
stris, teste Apostolo: Si Christus non resurrexit (sc. propter nostram  
justificationem, ut superius (f) addidit) inanis est prædicatio nostra,  
inanis est & fides vestra (g). Nihil n. aliud in Verbo & Sacramen-  
tis nobis offeritur, & fide applicatur, nisi meritum Christi: At effi-  
cacia vel maxima horum mediorum passim in sacris literis descri-  
pta nobis commendatur. Evangelium n. dicitur potentia Dei ad  
salutem omni credenti (h). Baptismus describitur ut medium, adopti-  
onis, regenerationis, renovationis in Spiritu S. sanctificationis ac  
aeternæ salutis (i). Cœna Domini nobis communicat corpus & san-  
guinem Christi, & cum eo in unum corpus nos conjungit, ac omnia  
beneficia Christi nobis obsignat, inq; fide nos confirmat (k). Fides re-

f) Rom. 4.13  
g) 1 Cor. 15.4

h) Rom. 1.16  
i) Ioh. 3.5.  
Tit. 3.5.  
Mar. 16.16.  
Rom. 6.3.  
Eph. 5.26.

C missio-

i. Pet. 3. 21.  
k) 1. Cor. 10.  
x6. 17. c. 11.  
2. 4. 25.  
l) Act. 10. 43.  
Rom. 5. 1. c. 3  
2. 4. 25. c. 10.  
q. 10.  
Gal. 2. 16.

missionem peccatorum & justitiam Christi impetrat, nos justificat & salvat (l).

5. Tum & magnitudo & multitudo honorum privativorum, ut sunt; ablatio peccati, liberatio à morte, destrucción inferni, aver-sio maledictionis legis, superatio Diaboli, placatio irae Dei, &c. ut & positivorum, ut acquisitione justitiae coram Deo, referatio cœli, &c. Tot, inquam, tantaq; bona & dona non nisi Christum auctorem agnoscunt. Non n. angelus, nedum homo hæc dona effecta dare potuisset, secundum illud Psalmi: Frater redimendo non redimet quens quam, sed omittet illud in æternum (m).

m) Ps. 49. 9.

n) in Ps. 91.  
Super Job.  
In sermone  
de Parasce-  
se.  
De Virgini-  
tate.  
De laude  
carnis.

His addimus testimonia Patrum. Bernhardus inquit (n) Christus secundum tempus quidem pro impiis mortuus est: Secun-dum prædestinationem autem pro fratribus & amicis. Augustinus: nulla causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Idem: Crux Christi nobis totius causa beatitudinis est: hæc nos à cæcitate liberavit erroris: hæc à tenebris reddit luci: hæc debellatos reddit quieti: hæc alienos Deo conjunxit: hæc discor-dia amputatio est: hæc pacis firmamentum: hac donorum omni-um abunda largitio. Hodie crux fixa est, & seculum sanctifi-carum est. Hodie crux fixa est, & Demones dispersi sunt. Hodie crux fixa est, & mors submersa est. Hodie crux vicit, & mors victa est, Hodie Diabolus vincitus est, homo solutus est, & Deus glorificatus est. Idem: Inspice vulnera pendentia, sanguinem mori-entis, pretium redimenti, cicatrices resurgentis. Caput habet incli-natum ad osculandum, cor apertum ad diligendum: totum corpus expositum ad redimendum. Rabanus: Passio Christi cœlum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit: in ea confirmantur angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici; stabiliuntur subsistencia, ani-mantur viventia, consentiunt sentientia, illustrantur intelligentia.

7. Deniq; notentur hæc paradoxæ. Si Christus non satisfecit passione sua pro peccatis nostris: cum vel sine peccato, vel adhuc in peccatis crimus; aut per nos ipsos aut alios ab iis liberabimur; omnes peri-

peribimus aut seruabimur: iustitia Dei satisfiet, aut per eam nulla  
interveniente satisfactione salvi erimus: Christus frustra mortuus  
erit, nec noster Redemptor ac salvator dici poterit. Tota S. S. Scrip-  
tura falleat, omniaq; media salutis à Deo ordinata nullius erunt  
momentii, &c.

### Error Tertius.

Christus tantum passus est pro lapsu Adæ & pecca-  
to originis.

Monasteri-  
ensis libro  
restitutio[n]e

### REFUTATIO.

Claritate testimoniorum S. S. Scriptura de merito Christi con-  
victi Adversarii, ne prorsus, negativam mordicus defendantes, con-  
fundantur, relinquunt merito Christi aliquam efficaciam, eamq; ad  
lapsum Adæ & peccatum originis, cum Pontificiis adstringunt, af-  
firmantes Christum non nisi pro lapsu Protoplasmatorum & peccato o-  
riginis satisfecisse.

1. Quia certè summa blasphemia est in pretiosissimum & sufficientissimum  
Sanguinis & Mortis Christi àuct[or]e, totamq; ejus passionem & mortem pro omnium  
hominum atq; totius mundi peccatis, quam clarissimis verbis Sacrosancta Scriptura  
nobis describit, inquiens (a): CHRISTUS est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.  
Sanguis IESU CHRISTI. Filii Dei. emundat nos ab omni peccato, IESUS CHRI-  
STUS est Propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam  
pro totius mundi. Vocabis nomen ejus JESUM, ipse enim saluum faciet populum su-  
um à peccatis eorum. omnia peccata congecit in eum. Ut redimeret nos ab omni ini-  
quitate. Ipse redimet Israël ex omnibus iniuriasibus ejus. Cum mortui essent in  
delicia, & praepotio carnis bestie, consubsidicavit cum illo, donans nobis omnia delicia.

2. Huc transferri possunt & illa S. S. Scriptura dicta (b) que asserunt, non in  
alio quoquam salutem esse, nec aliud nomen sub calce datum hominibus, in quo opor-  
teat nos salvos fieri, per Christum reconciliata esse omnia: cundemq; dedisse semeti-  
plum premium redemptionis pro omnibus: unaq; oblatione consummata in sempiter-  
num n eos, qui sanctificantur, atq; semel introiisse in sancta, & ternâ redemptione inben-  
ita, & conscientias nostra mundasse ab operibus mortuis: ac propterea esse autorem  
& consummatorem fiduci &c. Ex quibus omnibus, per bonam ac solidam consequen-  
tiam, Christum pro omnium hominum omnibus & singulis peccatis satisfecisse, proba-  
ri posse, nemo inficias ire potest.

3. A quo universalissimo ac sufficientissimo Christi merito, quoq; dependet  
remissio omnium nostrorum peccatorum, certitudog; nostra salutis, que alias rata,  
firma ac certa esse non posset, nec eam à Deo rogare, sperare aut impetrare possemus.  
Cum vero Christus ipse in oratione Dominica precari doceat (c); remitte nobis debita  
nostra. Ac remissionem peccatorum certò sperare jubeat: Confide fili, remittuntur tibi  
peccata: Et S. S. Scriptura passim hanc certitudinem nostra salutis nobis proponat;  
sequitur irrefragabiliter, Christum ejusdem, satisfiendo pro omnibus nostris peccatis  
esse authorem.

a) Job. 1. 29.  
1. Job. 1. 7.  
Matt. 1. 12.  
Esa. 53. 6.  
Tit. 2. 13.  
Psal. 130. 8.  
Col. 2. 13.  
b) Act. 4. 12.  
Col. 1. 20.  
1. Tim. 2. 6.  
Ebr. 9. 12.  
14. 6. 10. 10.  
c. 1242.

c) Matt. 6.  
11. c. 9. 2.  
Luc. 11. 4.  
2. Tim. 1. 12.  
c. 2. 19.

4. Sin Rom. 8. 35.

4. Sin minus, detrahitur gratia & misericordie Dei, quæ supra peccata superabundare (d), in plures abundare, diffundi in corda nostra non posset; nec homines abundantiam gratie accipientes, in vita per unum Iesum Christum regnare dicerentur, sed excederent peccata Dei gratiam; nec Deus omnium misereretur, nec justificaremur gratis per illius gratiam; nisi Deus filium suum, quem toto mundo dedit, ad expianda omnia, tam actualia quam originalia bonum peccata, missit.

5. Quin & hoc diabolus pugnat cum summa & ineffabili Filiis Dei. D.N. I.C. in nos miseris homines dilectione, quæ motus de calo descendit, nostram carnem induit, ut abolita in carne sua omni peccato, servaret omnes homines, qui propter peccatum perierant (e). Si enim non ab omni iniuritate nos liberabit, sed pro labore originali tantum satisfecit, minus nos amabit neque in sue dilectionis nobis declaravit, quod ipse tanquam filius Dei optimè facere potuit, ut ante dictum.

6. Si vero Christus non satisfecit pro actualibus quaque peccatis, si ab iis liberari cupiamus, necesse est, ut aut alium Mediatorum queramus, aut ipsi nos iubemus. At præterum (f), qui unicus est mediator Dei & hominum & solus delet iniurias nostras, non est alius, nec potest esse, quia, ut Psaltes inquit, redimendo non redimet quisquam fratrem, sed omittet illud in eternum. Nec ipsi possimus satisfacere pro peccatis nostris, quia (g) omnes inutiles facti egemus gloria Dei, nec quisquam est, qui faciat bonum, neque ad unum: & si quid facimus, est id debitum, multis modis imperfectum & pollutum, ita ut severissima Dei iudicio opponi non possit. Relinquitur itaque merito soli Christo expiatio omnium peccatorum.

7. Ut & Patres totale Christi meritum verbis admodum memorabilibus descriperunt (h). Haymo: Christus totius iustitia est fundamentum. Idem: Nemo debet de meritis suis presumere, sed omnem salutationem ex Christi meritis expectare. Ocumenius: Quomodo sit iustificatio? per remissionem peccatorum, quam in Christo Iesu consequimur. Augustinus: Christi gratia non solum illud delictum solvit, quo obstinuntur infantes ex Adam procreati, sed etiam multa delicta; que, cum creverint homines, addunt malis moribus. Idem: Justificamus in solo Christo, qui iustitia vera est per fidem. Leo: Effusio pro iustitia sanguis iustit, tam potens fuit ad privilegium tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nulla tyrannica vincula retinerent.

d) Rom. 3. 23  
c. 5. 15. 20. c.  
II. 32.

e) Matt. 18.  
11.

f) I. Tim. 2. 5

Esa. 43. 25.

g) Ps. 14. 3.

& 53. 4.

& 49. 9.

Rom. 3. 23.

Luc. 17. 10.

Rom. 8. 12.

Esa. 64. 6.

Phil. 3. 8.

Ps. 143. 2.

h) Super 26.

& 12. 1. Psal.

Ad Hilari-

um Ep. 89.

in Cap. 1. ad

Rom.

In serm. 7.

mensis.






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn737663332/phys\\_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737663332/phys_0023)

**DFG**



præsenti hoc errore pronunciet, qui & olim suæ  
auctores partim propagatores in Ecclesia ma-  
Originem & Alexandrina Ecclesiæ antisitem  
Palestinæ; & nunc iterum resuscitatus à nonno-  
rum in proscenium educitur, palliatur, com-  
impij hujus dogmatis absurditas eò magis innocens  
literarum & rationum stateram examinanda

1. Contrariantur illi scripturae dictæ ea, qua  
diabolorum & hominum damnatorum aeterna  
desituras esse perspicuè confirmant(a): quæ ve-  
morientem afferunt: Iram Dei mansuram sup  
esse ignem inextinguibilem, interitum aeternum,  
Iudicium sine misericordia, pronunciatum  
extremo dñe abiectum maledictos in supplicio.  
Quod si itaq; homines damnati usq; in aeternum  
lumen & Diaboli in secula seculorum crucia-  
tandem erunt salvandi, aut quis finis panis ipij  
N. q; est, ut quis cavilletur, vocabulum aeterni  
lumen sine fine perpetuitatem, sed periodicam  
temporis limitatam diuturnitatem denotare. In  
questione accommodari non potest: siquidem  
quam convincetur, quod pænae damnatorum  
ræ sint, sed potius constat, nullam mutationes  
summi iudicis, quo ad statum rerum futuram  
aeternum, simpliciter in propria significatione  
quid assumitur, profigmento reputamus.

2. Deinde & rationes contra prodigiosum habent. I. Quia damnatorum peccata mortaliæ  
temporalia violant & contemnunt aeternum &  
videlicet Deum, & aeternam vitam; iustissime  
aeternis pænis puniuntur. Cum enim duplex si-  
cundum intentionem acerbitatu, & secundus



- a) Esa. 66. 24.  
Ioh. 3. 36.  
Matt. 3. 12.  
2. Thes. I. 9.  
Hebræ. 6. 2.  
Iacob. 2. 23.  
Matt. 25. 41.  
Psal. 49.  
Apoc. 20. 10.